

VI. CLAVDIA AVGVSTA AB ALTINO AD DANVVIVM.

Viae Claudiae Augustae, quam a Pado ad Danuvium per m. p. CCCL derexisse Drusum seniore, scilicet debellatis Raetis a. ante Chr. 15, munivisse et a suo nomine nuncupasse filium eius Claudium imp. a. p. Chr. 47 tituli docuerunt, cippi duo extant, alter repertus ad Cesio maggiore prope Feltriam, alter in valle Athesis superiore ad Rabland prope Meran; quibus addi potest pons Drusi nominatus in Peutingerana eo loco, ut appareat eum fuisse non longe a Botzen oppido ad confluentes Athesin et Isarcum (Eisack). Cum Feltria Bellunoque per alpestrum

vallem Agordensem ad Botzen oppidum via nullomodo sterni potuerit, credibile est viam ductam esse ab Altino per Tarvisium Feltriam, inde per vallem Ausuganam Tridentum, quae via Feltria Tridentum enarratur in itinerario Antonini p. 280 (cf. p. 536). A Tridento deinde per vallem Athesis (Vintschgau) perrexit necesse est ad lacum Brigantinum et caput Danuvii. Accuratus de ea non dicemus; mansiones enim cum certo definiri nequeant, coniecturarum de via hac prolatarum cumulum adaugere non placet.

8002 rep. a. 1786 m. Iunio in Ces [=Cesio] Maggiore [VI—VII m. p. a Feltria versus Bellunum] nella chiesa di S. M. Maggiore nel territorio Feltrino sotto l'altare di S. Antonio CORTENOVIS, NOV. FIOR., GUARNIERI. Extat prope Feltriam in villa olim comitum Tauro alle Centenere.

TI · CLAVDIVS · DRVSI · F
 CAESAR · AVG · GERMA
 NICVS · PONTIFEX · MAXV
 MVS · TRIBVNICIA · POTESTA
 5 TE · VI · COS · IV · IMP · XI · P · P p. C. 47
 CENSOR · VIAM · CLAVDIAM
 AVGVSTAM · QVAM · DRVSVS
 PATER · ALPIBVS · BELLO · PATE
 FACTIS · DEREXERAT · MVNIT · AB
 10 ALTINO · VSQVE · AD · FLVMEN
 DANVVIVM · M · P · CCCL

Contuli. Habent Cortenovis ms. p. 87; Rambaldus degli Azzoni Tarvisanus misit Marinio (cod. Vat. 9043) 14 Iul. 1786 (inde cod. Vat. 9128 f. 45 et Arval. p. 72, ex Marinio Orelli 648); cod. Paris. 9697 f. 107d; Amadutius novelle Fiorentine 1786, 693; Aurelius Guarnieri Ottoni diss. intorno al corso dell'antica via Claudia (Bassani 1789. 8) cum tabula recte facta; Schoenvisner antiq. Savar. (1791) p. 95 a Garampio; Filiasi mem. ed. I 2, 166, ed. II 1, 380; Montebello Valsugan (1793) p. 330 omnino ex Guarnierio; Hormayr Tiroler Almanach 1805 p. 134 aperte ex editis; Taurus 1816 n. 1; Giovanelli Beitr. für Tirol und Vorarlberg 1 (1825), 28.

9 DERIVIIIIT vel DERIVIIIIT vel DERIVAVIT exempla edita et scripta quae vidi omnia; at lapis aperte DEREXERAT. — 11 numerus integer est.

8003 columna miliaria rep. a. 1552 Rablandi prope Meranum et a. 1570 delata in castrum Maresch prope Botzen, sicut testatur titulus lapidi antiquo subiectus: 'Tiberus Clauden wardt nach Cristi Geburt 43 iar der finfft romisch kaiser im Leben diser Gestalt hat dise Seil gesezt, welche im 1552. iar zu Rablant in Pfinschau ain wasergus abdockht, die ich Hans Jacob Romer zu Maresch riter hiher bracht und sambt dize zwai Abgeter, die in ain alten gemeir gefunden, zu ainer gedechtnus verordnedt. 1570.' — Duas columnas similes servari Mareschii, alteram Remplandi a. 1552 repertam, alteram eodem anno 'auf der Thöll' (v. n. 5090) scribit HORMAYR, deceptus exemplorum diversitate, quae falsa tituli geminatio pervenit ad auctores qui postea scripserunt plerosque. Rep. in Athesi ad Veronam HENZEN errore.

TI CLAVDIVS · CAESAR
 AVGVSTVS · GERMANICVS
 PONT · MAX · TRIB · POT · VI p. C. 46
 COS · DESIG · III · IMP · XI · P · P
 5 VIAM · CLAVDIAM · AVGVSTAM
 QVAM · DRVSVS · PATER · ALPIBVS
 BELLO · PATEFACTIS · DEREXERAT
 MVNIT · A · FLVMINE · PADO · AT
 10 FLVMEN · DANVVIVM · PER
 P · CCCL

Contuli et lapidem ipsum et ectypum eius a Streiter Botzensi mihi paratum. Descripsit primus Roschmannus bis a. 1734 et 1743, diligenter ut ait repurgatum (inde ms. Botzen n. 2; Maffei M. V. 453, 6 ab Roschmanno; Donat. 211, 2; Roschmann fil. Gesch. von Tirol 1, 145; Hormayr Tiroler Almanach 1805 p. 133; Orelli 708). Emendavit, sed imperfecte, Sperges, cuius typum Cresseri et posuit in ms. n. 52 et misit Ottonio p. 106 appendicis ad commentarium infra citandum; eundem typum Hippolytus ms. fratri suo P. Hippolyto acceptum refert. Denuo ex lapide excepit Resch (ann. ecll. Sabion. I a. 1755 p. 536 n. 124). Omnium optimum exemplum exhibet tabula II adiuncta libello comitis Aurelii Guarnieri Ottoni qui inscribitur dissertazione intorno al corso dell'antica via Claudia (Bassani 1789. 4); quamquam in ipso commentario, quem auctor morte interceptus non absolvit, titulus non recensetur nisi ex Maffeo, ut post scripta illa Ottonius melius

illud exemplum aut ipse excepisse videatur aut ab amico aliquo nactus esse. Inde pendent Montebello Valsug. 1793 p. 330; Siauve sugli ult. scavi di Zuglio a. 1812 p. 23 et Mitth. des hist. Vereins für Krain 1848 p. 90; Giovanelli ara Dianae (1824) p. 110 et Beitr. für Tirol 1 (1825) p. 27 (inde per Ferussacum Henzen 5400).

2 sic ut dedi ego et tabula Ottoniana, GERMAN Resch, GERM Roschm. Cress. GERMANICVS reliqui om. in lacuna Giov. Beitr. — 3 POT·VI tabula recte, POEST priores. — 4 VIAM tab. Cress. Roschm. Giov. Beitr., VIAM reliqui. — 6 sq. sic exhibentur:

Roschmann ms. primum:
 QVAM DRVSVS CAESAR PRIVS
 TORRENTIVM
 A PALVDIBVS

Roschmann ms. curis secundis:
 QVAM DRVSVS CAESAR PRIVS
 OBICIBI PATE
 FACTIS ITER EXS

Roschmann apud Maff.:
 QVAM DRVSVS CAESAR PRIVS
 PATEFACTIS ITER EX . . .
 FLVMINE

Roschmann IUN.:
 QVAM DRVSVS CAESAR PRIVS
 OBICIBI · PATEFACTIS · ITER · EXSI
 cauti a FLVMINE purgavit
 muniendam ac restituendam
 sua pecunia per M P curavit

Sperges apud Cress.:
 QVAM DRVSVS CAESAR PRIMVS
 OBICIBI PATEFACTIS ITER EXSERAT
 MVNITA FLVMINE PADO CAT
 I · MEN DANVVI
 TEC

Resch:
 QVAM DRVSVS CAESAR PRIVS
 VORTICIBVS PATEFACTIS DIREXERAT
 MVNITAM FLVMINE PADO CAT
 AT · AMENDANDAM III
 P · F · CC

7 PATEFACTVS Giov. (ara D.) — DEREXERAT Mont., DIREXERAT Siauve. — 8 AD Siauve. — 10 P·CC·CC·M Siauve, P·CCCXX Henzen errore.